

No. 381. 1320. 19. Nov.

*Probst und Capitel genehmigen eine Veränderung hinsichtlich gewisser zur Decanalvicarie gehörigen Zinsen.*

Waltherus dei gratia praepositus, C. maior de capitulo totumque capitulum ecclesiae Misnensis omnibus, ad quos praesens scriptum pervenerit cupimus esse notum, quod cum dominus Petrus hortum suum apud sanctum Nycolaum pertinentem ad suam vicariam decanalem exposuisset Petro lapicidae, quod deberet ei et successoribus suis dare singulis annis unum talentum legalium denariorum, considerantes ambo, quod talis census nimis magnus et gravis in tali horto esset, praedictus Petrus lapicida comparavit duodecim solidos minus III<sup>or</sup> denariis, quos dedit praedictae vicariae, ut tantundem minoraretur census in horto suo. In quo nos consensimus nostri capituli voluntate unanimi accedente; census autem, quem assignavit, solvitur in curiis et hortis infra scriptis in civitate Misna retro ecclesiam sanctae Mariae, in curia Gotzalci duo solidi, in curia Hermanni dicti Gast III<sup>or</sup> solidi, in curia Adilheydis Richardi XX<sup>ti</sup> denarii, in curia Alberti advocati unus solidus, in novo foro de horto secundo ab scola Judaeorum contra Albiam III solidi. Actum anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>. in die Elizabeth.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Convents an einem Pergamentstreifen.

No. 382. 1321. 29. Oct.

*Der Probst und der Convent zu Naumburg am Queis versprechen die Genehmigung ihres Oberrn hinsichtlich ihrer Unterwerfung unter den Bischof zu Meissen und die Capitel zu Meissen und Budissin in Betreff der ihnen zustehenden kirchl. Rechte zu Lauban binnen bestimmter Frist beizubringen.*

Nos Mychael praepositus sive prior, Katherina priorissa totusque conventus sanctimonialium beatae Mariae Magdalenae ordinis sancti Augustini in Nuwynburg prope fluvium Quiz Wartizlouiensis diocesis, praesentibus publice promittimus et in his scriptis nos obligamus reverendo in Christo patri domino Wythegoni episcopo Misnensi et capitulis Misnensis et Budissinensis ecclesiarum ad obtinendum plenum consensum et voluntatem nostri superioris super renunciatione privilegiorum obtentorum et obtinendorum exemptionis et libertatis nostrae quantum ad ius parrochiale ecclesiae Lubanensis nobis incorporatae et donatae, secundum quod in litteris praedicti domini episcopi Misnensis et sui capituli super hoc lucidius continetur. Praedictum vero consensum procurabimus ante diem beati Johannis baptistae proximo affuturum. In cuius obligationis plenum testimonium nostrum sigillum praesentibus est appensum. Datum Budissin anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XX primo, in crastino beatorum apostolorum Symonis et Judae.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das Siegel ist abhanden gekommen.